

perpeti ne redeam interea? *PA.* tene? non hercle arbitror;  
nam aut iam revortere aut mox noctu te adiget hor-  
sum insomnia.

*PH.* opu' faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam. 220

15 *PA.* vigilabi' lassus: hoc plus facies. *PH.* abi, nil  
dicis, Parmeno.

eiciunda hercle haec est mollities animi; nimi' me in-  
dulgeo.

tandem non ego illam caream, si sit opu', vel totum tri-  
duom? *PA.* hui

univorsum triduom? vidē quid agas. *PH.* stat sententia.—

*PA.* di boni, quid hōc morbist? adeon homines inmutarier 225  
20 ex amore ut non cognoscas eūdem esse! hoc nemo fuit  
minus ineptu', mage severu' quisquam nec mage continens.  
sed quis hic est qui huc pergit? attat hi(c)quidem est parasi-  
tus Gnatho

militis: ducit secum una virginem dono huic. papae  
facie honesta! mirum ni ego me turpiter hodie hic dabo 230  
25 cum meō decrepito hoc eunucho. haec superat ipsam  
Thaidem.

*GN.* Dī immortales, homini homo quid praestat? stulto  
intellegens

quid inter est? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi:  
conveni hodie adveniēns quendam meī loci hinc atque  
ordinis,